et aliorum multorum deorum temporibus Moysis. Isis vero fuit tempore Abrahae, fuerunt enim ambae paene contemporaneae, cum Alma fuit mater Jovis, et Isis ejusdem concubina. Creditur autem, Isidem in loco prostrati idoli sui sepultam, propter quam et reges Aegypti suas sepulturas elegerunt et pyramides ibi, ut dictum est, erexerunt. 057

Prope idolum Isidis quoddam informe saxum jacet, quod dicunt olim bovis simulacrum fuisse, et idolum Osiridis sive Apis. Mortuo enim Osiride dixerunt animam ejus migrasse in bovem, ideo bovem adorabant, et Isis, uxor ejus, dilaniatum corpus ejus collegit, et membra in bovem ligneum pelle bovina obtectum imposuit et populo adorandum exhibuit. Successu autem temporis, computrescente ligneo idolo, Aegyptii saxum formantes ingens Osiridi consecrarunt, quod ideo Romani non tulerunt, quia non materiae ejusdem erat cum primo, et cum hoc erat informe et grandissimum, inaptum duci per tanta maris spatia. Aliud tamen idolum Osiridis fabricati sunt et templum in Romana urbe; ipsam enim urbem tanto sanctiorem, feliciorem et fortunationem fieri aestimabant, quanto cultus idolorum diversorum ibi abundabant, unde paene omnium mundi gentium deos in ipsam transducebant, demto Jesu Nazareno, deo Christianorum; unde Tiberius Imperator; lepra infectus, a Veronica virtute imaginis vultus Christi curatus, preces obtulit senatui, ut etiam Jesum, Christianorum deum, assumerent pro deo, (sed) omnino eum recipere recusabant, imo, ut verius dicam, Christus ad eos intrare nolebat, primo propter licentiam senatus, quem Christum recipere non decebat, nullus enim ibi colebatur deus, nisi de licentia senatus. Secundo Christus noluit Romam venire nec ibi manere, nisi exstirpatis et ejectis omnibus aliis idolis, quod Romanis gentilibus grave fuit. Tertio voluit Christus prius mundari civitatem martyrum sanguine, et sic ingredi. Quarto noluerunt Romani Christum pro deo, quia divitias damnavit, paupertatem beatificavit, gloriam mundi sprevit, et abjectionem atque humilitatem elegit, sapientiam mundi despexit, stultitiam praetulit etc., potentiam irrisit, mundi subjectionem mandavit. Quae omnia intollerabilia Romanis videbantur. Sic delectationes carnis, crapulam, luxuriam, quietem suis interdixit, contraria praecepit. Quinto noluerunt Christum pro deo, dicentes eum deum invidum, superbum, eo, quod nullum alium deum secum

051
066
046
106
006
156
556
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;